BREVISSIMA CANTICI CANTICORVM SALOMONIS EXPLICATIO,

Quæ infallibilem Sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ veritatem, ac plenariam Summi Romani Pontificis potestatem vnicuique apertissimè demonstrat, in fidelium solatium, ac in hæreticorum, & quoruncunque aliorum infidelium confusionem.

Auctore Constantino Leonida.

AD SANCTISSIMVM D. N. PAVLVM V.



VENETIIS, M. DCX.

Apud Florauantem Pratum.

C O P I A.

GLi Eccellentissimi Signori Capi dell'Illustrissimo Conseglio di X. infrascritti hauuta fede dalli Signori Riformatori del studio di Padoua per informatione delli doi à ciò deputati, cioè del Reuerendo Padre Inquisitor, & del Circ. Secretario del Senato Gio. Marauegia con giuramento, che nel libro intitolato Breuissima Cantici Canticorum Salomonis explicatio, non si troua cosa alcuna contra le leggi, & è degno di stampa, concedono licentia che possa esser stampato in questa Città.
Dat. die 3. Nouembris. 1610.

D. Zuane Marcello.
D. Lorenzo Gabriel
D. Z. Giacomo Gradenigo. } Capi dell'Eccellentiss. Cons. di X.

Illustriss. Cons. X. Secret. Petrus Peregrinus.

1610. à di 4 Nouembre.

Registrato in libro à carte 52.

Io. Baptista Breatto Offitij Contra Blasphemiam Coadiutor.

CONSTANTINVS LEONIDA

SANCTISSIMO D. N. PAVLO V.

Sanctiſſime, ac Beatiſſime Pater.

CVM nulla fides vera ſit, nec eſſe poſsit, niſi quam Sacroſancta Catholica mater Eccleſia pijſsime docet, nec vlla poteſtas plenaria, niſi quam ſummus Romanus Põtifex legitimè exercet, in quorum vulgatiſsimam manifeſtationem, Omnipotens, et miſericors Dominus, qui vult omnes homines ſaluos fieri, cũctis gentibus creaturarum, & ſcripturarum libros edidit, qui ad ſingularem vniuſcuiuſque doctrinam ſcripti; omnes inceſſanter docent, nulla alia via quemquam ad vitam ingredi poſſe, niſi eorũ mandata ſeruando. Hinc eſt, quod cum ego memetipſum rerum omnium tam naturaliũ, quam artificialium (quæ penes innumerabilia exiſtant) continuis vocibus excitari, et admoneri animaduerterem, ne ſolus ſilens obmuteſcerem. In perpe-

tuum deuotionis meæ Sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ, & Romano Pontifici debitæ obsequium, breuissimam hanc Cantici Canticorum Salomonis explicationem compillādam duxi, quam cum superioribus annis Italico idiomate conscriptam Beatissimi Clementis Papæ VIII. fælicis recordationis pedibus subiecissem, eiusdem, mox & amplissimorum Patrum, ac præcipuæ sanctitatis vestræ humanissimo iussu, vt primum Venetijs (vbi de fortuna, rerumque mearum summa agebatur) properans perueni, in latinum obediens transtuli, acerrimis attamen miserrimisq́; litium angustijs hinc inde semper agitatus, impressioni numquàm tradere valui, nisi hoc tempore, quo his (Seruilij Trei I.C. præclarissimi insigni virtute) sedatis, eam Sanctitati vestræ Humillimè voueo, cum par sit, vt quæ summo prædecessore, & sanctitate vestra tunc sancti offitij præside Religiosissimo imperante, iam pridem in latinum conuersa tamdiu in abscondito latitarit, eadem modo Pontifice optimo maximo etiam nunc annuente sacratissimi Nominis sui fulgore præmunita tandem è tenebris emicans in lucem prodeat. Venetijs die 17. Nouembris. M D C X.

BRE-

BREVISSIMA CANTICI CANTICORVM SALOMONIS
Expoſitio Conſtantini Leonidæ.

AD SANCTISSIMVM D. N. PAVLVM V.

CVm Salomon diuino munere omnium hominum (quot quot fuerunt, ſaltem ſui temporis) ſapientiſsimus ad æternæ fælicitatis contemplationẽ humanas vellet erigere mentes, quoniam hæ ad eam animi morum compoſitione, ac naturali rerum cognitione alacriores redduntur, de eis primum dicendum ſtatuit. Incipiens: Fili mi audi ſapientiam, & deindè ſubdens Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, cumque de eis ſatis abundè dixiſſet. Poſtremo loco dicturus de vltima, ac ſuprema hominis fælicitate, de ipſo Dei verbo, de Euangelica doctrina,

de Pontifitia auctoritate, & de fidei, & Catholica Ecclesiæ veritate, (quæ sola est vita, & salus animæ) tractatum hunc Cantici Canticorum composuit in honorem Christi Sponsi, & Ecclesiæ, animæq; Catholicæ eius dilectissimæ sponsæ, quam miro ipsius amore æstuantem ac in salutari suo totaliter exultantem, inducit has iucundissimas, ac omni exuberanti lætitia repletas voces emittere.

CAP. I.

Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino flagrantia vnguentis optimis.

QVòd ipsa potiri cupit, quin quod ipsa sola potitur osculo oris Dei, quod est lumen infusum, inspiratio sancta, ipsumque Dei verbum, Ecclesiæ, Animæ Catholicæ, ac summi Romani Pontificis Sponsus, lux, & Dux, vt ex his certò sciant gentes, quod sicut Romanus Pontifex Vniuersalis Ecclesiæ Antistes, Verus Christi Vicarius, ac legitimus Beati Petri successor absolutissimam, supremam, ac plenariam in

cælo, & terra potestatem habet (osculo oris Dei significatam) sic omni debito Religionis iure omnes homines sanctitatis suæ beatissimos pedes deosculari tenentur. Duo vbera meliora vino flagrantia vnguentis optimis sunt duplicia Euangelicæ dilectionis præcepta; quæ nos Deum supra nos, & proximum sicut nos, diligere faciunt, & cælestia suspicere, ac terrena despicere, quæ more vini humanum visum decipiunt; sunt etiam vtriusque veteris, ac noui testamenti doctrina, & veritas; Religio, & pietas, quæ nos fide, et opere Deo seruire faciunt, sic enim flagrantes vnguẽtis optimis propter corporis castitatem, ac cordis munditiam Deo placemus.

Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te.

Et quoniam Christi nomen vnctum significat, idcirco olei nomine eum appellat, in hoc omnibus notum faciens, quod sicut oleum omnibus rebus liquidis, cunctisq; liquoribus supernatat, sic sacrosancta Catholica Ecclesia, Summusque Romanus Põtifex rebus, legibus, Primatibus, alijsq; omnibus hominibus dignitate, ac potestate in spiritua-

libus supereminent, & quod sicut oleum in quancunque rem diffusum dilatatur, sic eorum auctoritas in prælatos, aliosque ministros, ac in omnes Christi fideles tàm Ecclesiasticos, quàm sæculares, sic extenditur, quorum animæ (quas adolescentulas vocat) tàm mirabili amore cùm prosequuntur, vt pro sancta eius Ecclesia, & fide catholica amplianda, ac suprema Romani Pontificis auctoritate tuenda quæcũque eis proponuntur tormenta hilari animo subeunt, nec propriæ vitæ pereunt.

Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.

Hic manifestissimè asserit, quod Christus, qui veritatem, charitatem, dignitatem, auctoritatẽ, aliasq; perfectiones (catholicæ Ecclesiæ, summo Romano Pontifici, alijsq; fidelibus suis confert, vsque adeò humanam imbecillitatem corroborat, vt omnia possit in eo, qui eam confortat; Vnumquemq; enim singularem plures efficit, Pontifici namque in cælo, & terra potestatem tribuit, & ex vniuscuiusque singulari amore plures efficit, Deum scilicet, & proximum diligere, & licet mens humana in terris existat; cõuersationem in cælo habere, et dis-

discretionis naribus odorem donorum Spiritus Sancti, Sacramentorum, aliarumque gratiarum spiritualium haurire ei permittit.

Introduxit me Rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur memores vberum tuorum super vinum.

Et sequitur, quòd Christus, qui Catholicam Ecclesiam, Romanum Pontificem, cæterosq; humiles fideles regit, eos mystica, & absconditα mysteria docet, eisque æternæ vitæ dulcia libamina gustare concedit, in quibus ipsi tantummodo gloriantur scientes, quod omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens ab ipso omnipotente patre luminum.

Recti diligunt te; nigra sum, sed formosa filiæ Hyerusalem, quasi tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

Et addit, quod prælati superiores tàm immenso Dei amore flagrant, vt eorum exemplo etiam sæcularium animæ (quas filias Hyerusalem nominat) tẽtationem, persecutionem, peccatorum turpitudinem,

pitudinem, propriamque per Chriſtum pulchritudinem apprimè intueantur, & mundo mortuæ Deo viuant, ſicut ex mortuorum pellibus tabernacula conficiuntur: ſic fidelis anima mundo mortua, ſenſibus, ac motibus omnibus abſoluta, & penitùs propria voluntate abnegata Catholicæ Eccleſiæ, & Romani Pontificis præceptis abſque vlla controuerſia obediens Deo vnitur, fit formoſa, & in hoc ſæculo gratiam, in altero gloriam conſequitur ſempiternam.

Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol, filij matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis meis, vineam meam non cuſtodiui.

Hic ſponſa Eccleſia, & anima catholica ab ipſo Chriſti lumine lumen, quo gaudet recepiſſe, diuino tamen inacceſſibili eius ſplendori comparatam, ac etiam propter perſecutiones ſibi à proprijs filijs illatas, ideſt ab ipſa ſinagoga, fuſcam ſe eſſe fatetur; nam cum ſinagoga ab euangelicæ veritatis lumine oculos auertiſſet, Dominus diſcipulis

ſuis

uis iussit, vt euntes per vniuersum mundum uangelicæ doctrinæ lumen effunderent, propterea pōsa Christi amore subaccensa, timens ne sibi sancta eius auferatur gratia, Exclamat.

Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

Suppliciter Deū exorat, vt ei indicet vbi pascat, & in meridie cubet; idest quid credere, quid sentire, quid agere debeat, & suam voluntatem facere eam doceat, ne post sodalium suorum greges vagari incipiat, idest, ne ab erroribus, vitijs, & peccatis polluatur: Euidentissimè ex his innuens, quòd solus qui sacrosanctæ piæ matris Romanæ Ecclesiæ, eiusque patris patrum Antistitis præceptis salutaribus obtemperat perpetuæ vitæ gaudia suscipere valet, nec quisquam alius, & ei Saluator Mundi respondet.

Si ignoras te ò pulchra inter mulieres egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxtà tabernacula pastorum.

Quod

Quod de paſsionibus, tentationibus, ac perſecutionibus nulla habita ratione, omni peccati labe remota, internæ vocationi aſſentiens, ſolæ propriæ pulchritudini ſtudeat: in his omnibus compertum faciens, quod ſolus qui ſacroſanctæ Eccleſiæ, Romanoque Pontifici Deuotus indulget, æternæ ſalutis requiem conſequitur.

Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea.

Et pro certiori prædictæ irrefragabilis veritatis declaratione humani generis Redẽptor fideles electos ſuos equitatui ſuo in curribus Pharaonis aſsimilat, vt omnibus eluceſcat, quod ſicut Deus populum ſuum Iſraeliticum (Pharaone mari rubro obruto) in promiſsionis terram ſaluum deduxit, ſic catholica Eccleſia eſt currus, & Romanus Pontifex auriga, qui vitijs, peccatis, erroribus hæreticis, eorumque fautoribus, & auctoribus perditis in terram promiſsionis Euangelicæ veritatis, et in paradiſi gloriam fideles ſuos reducunt, & tranſuehunt.

Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, collum tuum ſicut monilia, murenulas

renulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.

Hac de causa mundi Saluator sponsæ animæ, & Ecclesiæ Catholicæ perfectiones, & prærogatiuæ propter eius castitatem, ac præeminentiam genis turturis assimilat, nullam enim aliam vocem audit, nec alia delectatur conuersatione, nisi eius gloriosissimi sponsi, genas more Turturis sanguine subfusas habens, timore peccãdi, ne se tanto sponso indignam exhibeat; Manifestissimè asserens, quòd Ecclesia Catholica nullo modo errare potest; possunt etiam genis turturis assimilari Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sũt enim cæli cardines, & sacra eorum purpurea thiara, consimili amictu, sublimique doctrina, & exemplo à peccatorum, & errorum deuia via ad veritatis, & salutis asillum fideles trãsducunt: collum sicut Monilia est spectabilis, ac firma Episcoporum dignitas, aurum, & argentum sunt Ecclesiastici, & sæculares, Murenulæ verò aureæ vermiculatæ argento sunt sacrarum scripturarum nexus, et sensus, aurum enim sapientiam, argentum eloquentiam significant, quæ in cognitione, & prædicatione sacratissimorum mysteriorum incarnationis,

tionis,

tionis, vitæ, Miraculorum, pasſionis, mortis, reſurrectionis, & ad cælum aſcenſionis D. N. Ieſu Chriſti perfectiſsimè apparent.

Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum, faſciculus mirrhæ, dilectus meus inter vbera commorabitur.

Et ſequitur, quod dum Chriſtus ſponſus Rex Regum, & Dominus Dominantium, cuius nutui cæli contremiſcunt, eſſet in accubitu ſuo Nardus ſponſæ dedit odorem ſuum; ideſt quòd dum humanitate aſsumpta naſci, viuere, pati; mori, à mortuis reſurgere, ad cælum aſcendere, et ad dexteram Dei patris omnipotentis ſedere dignatus eſt, totam humanam naturam, ac præcipuè Eccleſiam Sanctam ſuam ſuprema Pontifitia, ac cardinalitia Regiæ equiparabili dignitate, et vnãquamque animam ſummopere exaltauit: & propterea ipſa dilectum ſuum inter vbera commorantem habere; ideſt eius paſsionis, & mortis myſteria meditari, Chriſtum in viſceribus ſuis portare, & in omnibus ſuis actionibus ſe ſanctiſsimo crucis ſigno muniri debet, omnipotente enim crucis vir-

s virtute, ac infinitis meritis illius, qui in ipsa urpissimum mortis genus subire voluit, aduersa uæque patienter, ac fortiter feret, & à morte erpetua liberabitur: in his infallibilem catholicæ idei veritatem, ac Romani Pōtificis plenariam, & absolutissimā potestatem apertissimè attestās.

Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engadi.

Et omnia prænarrata Saluatoris mysteria botro Cypri (cuius exquisitissimus odor omnes alios suauitate excedit) assimilat, ut omnes certò sciāt, quod Sacrosancta Dei Ecclesia, Summusque Romanus Pontifex de quacunque hæretica prauitate, et de quibuscunque infidelibus victoriā consequetur, & quod fiet vnū ouile, et vnus Pastor.

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarū.

Hinc Christus Sponsus sponsam bis pulchram, & amicam appellat, Catholicam scilicet & Apostolicam, dilectam, et condilectam, dilectam, et Electam, quæ etiam duplici charitate refulget, fide, et opere, mundo corde, et casto corpore Deo inseruit,

inſeruit, eiuſque oculos, propter exactiſſimam, et abſolutiſſimam ſcripturarum, et myſteriorum omnium cognitionem, et prædicationem, oculis columbarum aſsimilat: Proindè ipſa inſurgens Chriſtum ſponſum humiliter ſic alloquitur.

Ecce tu pulcher es, & decorus; lectulus noſter floridus, tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia cipreſſina.

Quod ſolus Chriſtus pulcher eſt, et decorus, Deus, et homo, omnipotens, et miſericors, Miſericors, et Miſerator, ſolus Dominus, et ſolus Altiſſimus, Excelſus, et mirabilis in omnibus operibus ſuis, qui mirabilia facit ſolus; Et varietatem, ac multitudinē virtutum ſpiritualium fidelium ſuorum cuiuſcunque generis, ſexus, conditionis, et profeſsionis lectulum floridum vocat, et omnia Dei dona fidelibus conceſſa Tigna ædifitij catholici Cedrina; Et Sacroſanctæ Eccleſiæ ſacramenta laquearia cipreſsina appellat ex hoc, quòd ſicut cedrus, et cipreſſus arbores incorruptibiles ſunt, et odoriferi, ſic in Eccleſia ſancta Dei omnes catholici, et ſæculares more cedri, et cipreſsi, peccatorum

torum, & vitiorum corruptionem fœtidam, ac serpentum hæreticorum, aliorumque infidelium lætales morsus euitant, qui omnes tandem penitus delebuntur.

CAP. II.

Ego flos campi, & lilium cōuallium, sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias: sicut malus inter ligna, sic dilectus meus inter filios.

CVm Sponsa de sponso, eiusque domus pulchritudine sermonem habuisset, modo ipse Ecclesiæ, & totius mundi lucem se esse perhibet, cum rerum omnium creator, & pater sit, & flos campi, idest vteris virginei fructus, sicut enim campi absque vlla hominum industria flores gignunt, sic ipse mundi Saluator, verbum Dei Christus ex Spiritu sancto conceptus, ex immaculatissimo virginis ventre nasci dignatus est, quæ ante partum, in partu, & post partum semper virgo inuiolata permansit, & est lilium conuallium, idest, lux humilium fidelium, qui Ecclesiæ, Ro-

siæ, Romaniq; Pontificis mandatis sponte se subijciunt, quin & ipse humillimus est, quia cum in forma Dei esset, formam serui accepit, & humiliauit, & exinaniuit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, Et dicit, quòd sicut lilium inter spinas, sic amica sua inter filias, idest quòd sicut oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, sic cum ipsa sponsa sit lililium, idest Deiformis, oportet eam tribulationibus, tentationibus, & persecutionibus vexatam virtutis odorem emittere, idest beatitudinem consequi, cui ipsa respondet, quod sicut malus inter ligna, sic dilectus suus inter filios, idest quod solus Christus, eiusque Vicarius Romanus Pontifex sunt ligna salubria, et ciuilia, procul dubio ex his denotans, quod solus qui Ecclesiæ Catholicæ, & Romani Pontificis decretis obtemperat vitam in semetipso habet, & cælesti vescitur cibo, nec quisquam alius.

Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.

Hic Sponsa se solam Christi paternæ gloriæ splē-

doris

doris vmbram esse, & æterna vitæ verba habere asserit; Infallibilem Catholicæ Ecclesiæ, quæ numquam, nec vllo modo, nec in re aliqua errare potest veritatem, ac Romani Pontificis (qui omnia potest) plenariam potestatem affirmans.

Adiuro vos filię Hyerusalem per capras, ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

Propterea Christus filias Hyerusalem, idest, fideles animas animaduertit per capras, ceruosq; camporum, idest si corpore, et anima sempiterna gloria frui cupiunt, Ne dilectam, donec ipsa velit suscitet, aut euigilare faciat, idest vt Sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ, Romanoque Pontifici absque vlla controuersia obediant, nec à rerum æternarum contemplatione se auertant.

Vox dilecti mei, ecce venit iste saliēs in montibus, & transiliens colles, similis esto dilecte mi capreæ, hinnuloque ceruorum.

Prænarratis Christi verbis excitata fidelis spōsa

 anima,

anima; & Ecclesia Catholica dilecti sui vocem, idest Euangelicam veritatem, & doctrinam, omniaque sacra mysteria se solam cognoscere gaudet, in quibus Dominus saliens in montibus transilijt colles, idest diuinißimè humana operatus est, cumque caprea, hinnuloq; ceruorum similem dicit, quia sicut hæc animalia montium cacumina solummodo petunt, sic Christus incomprehensibile incarnationis mysterium, aliaq; omnia gentibus abscondita soli Ecclesiæ, Romanoq; Pontifici, suisque fidelibus patefacit; inaccessibilem gloriæ suæ sublimitatem, solius Ecclesiæ Catholicæ veritatem, & vnius Romani Pontificis supremam auctoritatem apertißimè in his ostendens.

En ipse stat post parietem, respiciēs per fenestras, & prospiciens per cancellos.

Hic pijßimus, & misericors D.N. Iesus Christus subiungit, quod ipse stat post parietem nostrū, idest in Ecclesia sancta sua respiciēs per fenestras, idest plenariam in cælo, & terra Romano Pontifici potestatem tribuens, prospiciens per cancellos, idest suam sanctißimā fidelibus conferens gratiam:

tiam: Manifestißimè asserens, quòd in hac sua militante Ecclesia, Romano Pontifice, alijsq; quibuscunque Prælatis, & subditis Catholicis fidelibus suis inuisibilis diuinus splēdor visibiliter emicat, qui vniuersali omnium saluti prouidet, omnia enim Dogmata, Ritus, Decreta, et Sacramēta Ecclesiæ inuisibilis diuinitatis uisibilia signa sūt, in quibus spiritualiter omnibus salutem præstat consimili modo, quo humanitate assumpta, et diuinitate abscondita nos redemit, et nos, nostraque omnia, quasi per cancellos diuinitate sua apertissimè respicit, & tametsi inuisibilis sit, aliqualiter quasi per cancellos videri patitur, et multa secundum diuinitatem, pleraque secundum carnis infirmitatem operatur.

En dilectus meus loquitur mihi, surge, propera amica mea, veni, iam enim hyems trāsijt, & recessit, flores apparuerunt in terra, & tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos; vineæ florentes dederunt odorem suum.

Hic Sponſa dicit, quod dilectus ſuus ei loquitur, ideſt quòd ipſa ſola omnē perfectionē, & doctrinam ſuam recipit à Chriſto, & eius voluntatem facit, cui Dominus reſpondet, vt ipſa ſua amica ſurgat, & properet, ideſt vt, terrena relinquens, cæleſtia meditetur, iam enim Hyems, ideſt terrenarum deſiderium rerum transÿt, et imber carnalium concupiſcentiarum, & perſecutionum receſsit, & flores, ideſt ſpirituales virtutes in catholici cordis agro apparuerunt, & tempus putationis aduenit, quia fidelis mens in Deum aſcendit, & vox Turturis audita eſt in terra noſtra, quia Eccleſiæ, et Romano Pōtifici, qui more Turturis in altum ædificant, ideſt ſoli Deum cognoſcunt, nec errare poſſunt, obedientiam, et debitam reuerentiam præſtat; Ficus protulit groſſos ſuos, quia quæ fide tenet, operibus exequitur, & vineæ florentes dederunt odorem ſuum, quia eius vita, mores, & exempla virtutum proximo proſunt, & vſque adeo propter ſimplicitatem, humilitatem, ac deuotionem ſuam Deo placet, vt Dominus ei repetat.

Surge amica mea, ſpecioſa mea, &
veni

veni in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ.

Vt ipsa sponsa Ecclesia amica scilicet et speciosa, idest Catholica, & Apostolica, veniat in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ, idest vt fidelibus suis indulgentiam, et peccatorum remissionem cōcedat propter passionis, ac mortis D.N. Iesu Christi infinita merita (cum ei soli tantum munus detur) eis quantum sufficit elargiens: Et animæ dicit, vt delictorum suorum pænitens ea confiteatur, de eis absolutionem recipiat, ac per Dei, eiusque vnigeniti filij D.N. Iesu Christi misericordiam, eiusque passionis, ac mortis innumerabilia merita veniam consequatur, id quòd veniat in foraminibus petræ, et in cauerna maceriæ idest vt Saluatoris passionem, ac mortem semper meditetur, et catholicæ veritati, et Romano Pontifici humilis, et deuota se vltrò subijciat.

Ostēde mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

Hic mundi Redemptor sponsam orans, vt ei

 faciem

faciem suã ostendat, & vox eius sonet in auribus suis, indubiam omnibus fidem facit, quod sola pia mater Catholica Ecclesia veram Euãgelicam doctrinam haurit à Domino, & quod solus Romanus Pontifex est verus Christi Vicarius, cui semper assistit, quò fit, vt vox eius sit dulcis, et facies sua decora, quia plenariam in cælo, et terra potestatem habet, et iugum præceptorum suorum euangelicæ dilectionis suaue est; Et obedientiæ, paupertatis, et castitatis onus leue; sunt enim à Deo, et secundum Deum, cui etiam humiles fidelium voces gratæ sunt, quæ licet multæ, nihilominus tam concordi, et vnanima charitate se ad inuicem complectũtur, vt vna sola existat Ecclesiæ, et Romano Pontifici acquiescens, et tentationibus, vitijs, ac peccatis semper repugnans. Admonet etiam Dominus animam catholicam, vt ei ostendat faciem suam, idest vt Deo, & sacerdoti peccata sua, eorumque circumstãtias ore proprio confiteatur; vox enim dulcis & facies eius decora, quia conseruus noster est, & ligandi, & soluendi legitima auctoritate fungitur: ex quo sacramentalem confessionem saluti necessariam (vt Sacrosancta pijssima mater Ecclesia mandat, & hæreticorum

ticorum

ticorum falsissimam opinionem, quæ ei aduersatur) apertissimè apparet.

Capite vobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit, dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.

Christus mundi Saluator sponsam hortatur scilicet Ecclesiam, vt hæreticos, eorumque conuersationem, & opera penitùs perdat, nā hi more vulpium vineas, idest simplicium mentes, demoliuntur; et animam catholicam vt tentationibus, persecutionibus, vitijs, ac peccatis resistat, & superbiam vitæ, & concupiscentiam carnis, atque oculorum vincat, atque prosternat virtutibus obedientiæ, humilitatis, & castitatis, & Ecclesiæ Sacramentis, hæc enim sunt lilia candida, quæ in omnibus rectè viuendi, recteq́ agendi inenarrabile exemplum præstant, et suauissimum præsentibus, & absentibus bonæ opinionis, et famæ odorē emittūt, quibus Dominus pascitur donec aspiret dies, idest huius caducæ, ac fragilis vitæ cursus pertranseat, et inclinentur vmbræ, idest, tentationes, con-

cupiscen-

cupiscentiæ carnales, & hæreticæ prauitates euanescant, et lucidus vniuersalis totius mundi dies, ad fidei, & catholicæ veritatis conuersionem in hoc, & gloriæ paradisi lucidissimus in altero sæculo, appareat.

Reuertere, similis esto capreæ, hinnuloque ceruorum super montes Bether.

Hæc Spōsi, & sponsæ familiaris collocutio reciprocā eorum beneuolentiam, et conuersionē indicat. Dū enim Dominus spōsam reuerti hortatur, eam Christum diligere, vt ab ipso diligatur suadet, & ad eum conuerti, vt & ipse ad eam conuertatur. Dum autem Sponsum capreæ assimilat lucem quā inhabitat inaccessibilem miratur; Dum verò hinnulo ceruorum super montes Bether similem dicit, Regale Christi genus, eiusq; ab Auis, Atauis, Proauis, Regibus, Prophetis, et Patriarchis originem, eiusque Regni (cuius nunquàm erit finis) institutionē designat; Nempè infallibilē Catholicæ fidei, et Ecclesiæ veritatē, ac Romani Pontificis in cælo, et terra plenariā (quæ nūquàm deficiet) potestatē omnibus palàm faciens.

CAP.

CAP. III.

In lectulo meo quæsiui per noctem quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni: surgam, & circumibo ciuitatem per vicos, & per plateas quæram quem diligit anima mea.

IN lectulo suo per noctem quærit Deum, nec eum inuenit, quicunque propijs opinionibus inhærens Ecclesiæ, & Romani Pontificis mandatis non acquiescit, et quicũque etiam extra se Deũ quærit, surgẽs enim circumit ciuitatem, idest mundum, per vicos, et per plateas rerum naturalium, & artificialium, sed Deum non inuenit, quia ambulat in tenebris.

Quæsiui illum, & non inueni, inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem, num quem diligit anima mea vidistis?

Hic etiam quod prius dixerat expresse narrat,

rat, quod in his sensibilibus, et visibilibus inferioribus nulla quies inueniri potest, non enim hic ciuitatem permanentem habemus, sed futuram inquirimus, & propterea sequitur etiam.

Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.

Quod quoniam Dominus fecit nos ad se, ideo inquietum est cor nostrũ, donec perueniamus ad eum; à sensibilibus enim, et visibilibus ad spiritualia, & æterna, et à creaturis ad creatorem ascendere debemus si Deum inuenire volumus; Non enim aliter datur finem consequi, ni aliquando à corpore euellamur, obletamentisq; corporeis; & Deo affigamur; ex quibus elucescit, quòd nemo ad salutis portum peruenire valet, ni rebus omnibus, & opinionibus proprijs, et alienis depositis, Vnicæ tantum Catholicæ Ecclesiæ, et vni soli Romano Pontifici spontè pareat.

Tenui illum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

Hic ſponſa Eccleſia, & anima catholica inextinguibili Dei amore ardens ab ipſa ſola inuenti, dicit, quòd nō dimittet eum, quia Chriſtus vſque ad ſæculi cōſummationem ſemper ſecum erit, donec introducat illum in domum matris ſuæ, & in cubiculum genetricis ſuæ, idest donec ſinagoga, omneſq; aliæ gentes infideles ad Catholicam fidē (quæ nunquam deficiet) conuertantur, & donec vniuerſa caro in ſpiritum trasformetur, omnes enim in nouiſſimo die reſurgemus, & in carne noſtra Deum Saluatorem noſtrum videbimus.

Adiuro filiæ Hyeruſalē per capras, hinnuloſque ceruorum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectā, donec ipſa velit.

Mundi Saluator filias Hyeruſalem, ideſt fideles animas orat per capras, ceruosque camporum, ideſt pro proprio corporis, & animæ ſalutis ſtudio, cui inuigilare debent, ne ſuſcitent, neque euigilare faciant dilectam, donec ipſa velit, ideſt vt Eccleſiæ, Romano Pontifici, alijsq; miniſtris Catholicis vltrò obediant, & quæcunque ab ijſdem mandata ipſis proponuntur, abſque vlla controuerſia exequantur.

quantur, nulla de eorum vita & moribus habita ratione, si eorum facta à dictis discreparent, veritatem, quam dicunt, & legitimam auctoritatem, qua funguntur tantummodo obseruantes.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus mirrhæ, thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.

Hic humani generis Saluator affirmat, quod in huius mundi deserto, atque in hominibus Deo dissimilibus sola fides Catholica, et Romani Pontificis Maiestas sublime diuinæ pulchritudinis specimen præsefert, omnes enim fideles suos euangelica doctrina, sacramentorum virtute, alijsq; sacris muneribus Dei compotes efficit, eosque fumo ex aromatibus mirrhæ, idest suorummet ipsorum abnegatione, Thuris, idest orationibus, & vniuersi pulueris pigmẽtarij, idest sanctissimis, & purissimis virtutibus in Deũ subleuat, & transformat.

En lectulũ Salomonis sexaginta fortes ambiũt ex fortissimis Israel omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi,

ctiſſimi, vniuſcuiuſque enſis ſuper fœmur ſuum propter timores nocturnos.

Sexaginta fortes ex fortiſsimis Iſrael, qui lectulum Salomonis ambiunt ſunt Theologi, Doctores, Concionatores, cæterique Prælati, qui debitum Eccleſiæ Catholicæ, & Romano Pontifici obſequium fideles docent, qui ſunt etiam ad bella doctiſsimi, & vniuſcuiuſque enſis ſuper fœmur ſuum propter timores nocturnos, quia ab omni corruptionis, erroris, & peccati labe fidelium animas præſeruant ſuis virtutibus, doctrina, & exẽplis, & hæreticorum conuerſationem, vitiorum coinquinationem, carnalis concupiſcentias, ac terrena deſideria longè arcent.

Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum media charitate cõſtrauit propter filias Hyeruſalem.

Ferculum, quod fecit ſibi Rex Salomon de lignis

gnis Libani est verbum Dei, æterna beatitudo, Ecclesiæ Catholicæ, & Romani Pontificis veritas, dignitas, Maiestas, & Potestas quæ sunt de lignis Libani, quia nunquàm deficient, columnæ argenteæ sunt Doctores sacræ Theologiæ magistri, Reclinatorium aureum est hæremitarum solitaria vita, qui soli Deo seruiunt, Ascensum purpureũ est excelsum sublime sacrosanctæ Ecclesiæ Cardinalium collegium, qui omnes dignitate antecedũt, & finaliter attestatur, quòd soli fideles Catholici, qui sunt filiæ Hyerusalem, qui Catholicæ Ecclesiæ, & Romano Pontifici indulgent hilari animo, omnium rerum mundanalium, errorum, et peccatorum in hoc sæculo victoriam consequentur, et in altero gloriam sempiternam possidebunt.

Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonẽ in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis sui.

Sanctissimus D. N. Iesus Christus, qui per crucem, et passionem suam mundum redemit, filias Hyerusalẽ, idest fideles animas admonet, vt egrediantur,

diantur, & videant Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis sui, idest vt incomprehensibile incarnationis verbi mysterium admirentur, innocentissima enim Christi caro ex immaculatissimo virginis vtero assumpta humanam naturam exaltauit, & regio diademate exornauit; Et vt eius passionis ac mortis supra pijssimum voluntarium holocaustum meditentur, quo Sinagoga eius mater eum ornauit in die desponsationis illius, idest passionis, et mortis, & in die lætitiæ cordis sui, quia sic mundum, & peccatores saluos facere lætatus est: Et vt ea, qua maiori possunt reuerentia Romanum Pontificem venerentur, qui in Ecclesia sancta sua gubernanda à Christo regitur, cuius est verus Vicarius, et legitimus Beati Petri successor; Hoc enim est suum Diadema, quo Dominus cum exaltauit, cum futurum tempus ad successionem referens dixit Petro: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, Et tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram erit ligatum, & quodcunque solueris erit solutum & in cælis, cuius proindè etiam

diadema est sacrum Cardinalium collegium; Sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ, Summique Romani Pontificis perfulgidum, & regale iubar, & ornamentum.

CAP. IIII.

Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es, oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecus latet, capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de mõte Galaad, dentes tui, sicut dentes tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.

Hic Sponsus sponsam suam bis pulchram appellat, idest Catholicam, & Apostolicam, fide, & opere coruscam; Et amicam propter eius veteris, ac noui testamenti sanã doctrinam, quia Spiritus sancti lumine repleta nullo modo errare potest, eiusq; oculos, idest Theologos columbarũ oculis assimilat absque eo, quòd intrinsecus latet, quia non solum rectos sacrarum scripturarum sensus, & Ecclesiæ, ac Pontificum

Decreta,

Decreta, sed etiam inuisibilem æternam vitam fideliter docent, capilli sui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad sunt religiosorum, et sæcularium ordines, & cogitationes, qui tametsi male corporis grauentur, nihilominùs resupini cælestia meditantes vultus ad sydera tollunt: Dentes eius sicut dentes tonsarū, quæ ascenderunt de lauacro sunt humiles fidelium voluntates, qui quæcunque à superioribus mandantur, firmiter tenent inuiolabiliterq́, obseruant, et Christi, & martyrum vita, et exempla sequūtur; sunt etiam capilli sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad, Prælati, Doctores, qui mysteria Regni cælorum apprimè callent: Dentes autem sicut dentes tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, sunt qui in Ecclesia sancta Dei erudiunt multos, qui sacrarum scripturarum cibum spiritualibus sensibus multiplicatum fidelibus transmittunt; itidem & fratres conuentuales, et hæremitæ, qui omnibus quæ possident renuntiant, ne honorum, diuitiarum, & vanitatis labor, et sudor eos polluat.

Omnes gemellis fœtibus, & sterilis

non est inter eas, sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.

Et sequitur, quòd omnes istæ oues, idest fideles animæ propter duplicem dilectionem gemellis fœtibus sunt fœcundæ; et sterilis nõ est inter eas propter eandem Euangelicam charitatem: labia sua sicut vitta coccinea, et eloquium suum dulce sunt. Amplissimi Sacrosanctæ Ecclesiæ Cardinales, qui sacra purpurea Thiara in Christi passionis, et mortis memoriam insigniti, verbis, exemplis, et virtutibus à peccatis, vitijs, vanis cogitationibus, ac carnalibus desiderijs fideles omnes humanissimè, ac mitissimè cohibent; Et Theologi, et Prædicatores, qui diuini amoris ignem in fideles accendunt; ac dulcia æternæ vitæ eloquia eos docent; Sunt denique fideles omnes, qui licet innumerabiles sint, nihilominùs, quasi vitta coccinea in vnũ cohibiti vnanimiter pio, ac læto animo Sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ, et Romani Pontificis mandatis in futuræ vitæ spem per D.N. Iesu Christi passionis, et mortis infinita merita vltrò se subijciunt.

Sicut

Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuę absque eo, quod intrinsecus latet, sicut turris Dauid collum tuũ, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

Idem, quòd superius dixit, consimiliter repetit, quòd sponsa anima, et Ecclesia Catholica multos populos, et cogitationes cõtinet absque eo, quòd intrinsecus latet; idest vltrà sempiternæ vitæ cognitionem, et spem, quam omnes fortiter, atque vnanimiter anhelant, collum sicut turris Dauid cum propugnaculis est bonorum operum fidelium perseuerantia, ac rerum cælestium, et supernarum contemplatio, quæ quasi turris terrenis cogitationibus, voluptatibus, passionibus, & tentationibus resistunt, mille clypei, qui pendent ex ea omnis armatura fortium sunt virtutes spirituales, miracula, vita, passio, & mors D. N. Iesu Christi, & sanctorum perfectiones, ac exempla, quæ sunt fidelium arma, quibus vitia, & peccata penitus delent, & perdunt: Est etiam fragmen mali punici vnaquæque fidelis anima exterius propter tenta-

 tiones,

tiones, ac perſecutiones, ac propter paſsionis, & mortis Chriſti imitationẽ, & memoriam rubens, & rubicunda, interius verò intimæ charitatis, & diuinæ gratiæ ſplendore candida, & dealbata.

Duo vbera tua, ſicut hinnuli capreæ gemelli, qui paſcitur in lilijs, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ, vadam ad montem mirrhæ, & ad collem thuris, tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.

Duo vbera ſicut hinnuli capreæ gemelli, qui paſcitur in lilijs donec aſpiret dies, et declinentur vmbræ ſunt Eccleſiæ Catholicæ, Romanique Pontificis duplicia Euangelica præcepta, quæ lilijs puritatis, charitatis, veritatis, & munditiæ cordis fideles nutriunt, donec aſpiret dies, et inclinentur vmbræ, ideſt donec corruptionis motus ceſſet, & vanarum cogitationũ, et carnalium concupiſcentiarum motus inclinentur, & euaneſcant, & ſol iuſtitiæ fideli animæ exoriatur, quæ ad montem mirrhæ vadit, ideſt mortua mũdo terrena omnia relinquit, et ad collem Thuris, ideſt ad Deũ aſcendit, diuinasq; inſpirationes recipit; tota pulchra,

ideſt

idest totaliter in Deum trasformata, & amica sua, idest in Angelorum chorum fœliciter euolata innocēs, et absque vlla erroris, aut peccati labe.

Vulnerasti cor meum soror mea, spōsa mea vulnerasti cor meū in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui: quam pulchrę sunt mammæ tuæ soror mea, sponsa mea, pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.

Vulnus à sponsa sponso illatum in corde, in vno oculorum suorum, & in vno crine colli sui, est sana, vera, atque infallibilis Catholicæ, Apostolicæ Sedis, ac Romani Pontificis charitas, veritas, et Maiestas; eiusque mammæ, et vbera pulchriora vino sunt Euangelica præcepta, et Ecclesiæ Sacramenta, quæ Mosaycæ, alijsque quibuscunque legibus præualent; Et odor vnguentorum suorum super omnia aromata est absolutissimum Romani Pontificis ligandi, & soluendi in cælo, et terra vniuersale Dominium.

Fauus diſtillans labia tua ſpōſa, mel, & lac ſub lingua tua, & odor vnguētorum tuorū ſicut odor thuris.

Et quoniam anima Catholica Dei ſponſa propter duplicia charitatis præcepta ſemper in Deū tendit, et affectus ſuos rectè regit, et Eccleſia Catholica ſumma eius ſingulari pietate, atque clemētia fideles ſuos proſequitur, et vniuerſali omnium ſaluti prouidet, ideò addit fauus diſtillans labia ſua; Et quia etiam ipſa ſola Deum cognoſcit, & amat, et veritate, doctrina, pietate, & clementia electos, eorumque cogitationes nutrit, ideo dicit etiam quod mel, & lac ſub lingua eius: Et quoniā Sanctiſsimus Romanus Pontifex propter clauiū ſibi à Domino traditam poteſtatem fideles ſuos corpore, & anima nuptiali veſte indutos ad paradiſi gloriā perducere valet, ideo concludit, quòd odor veſtimētorum ſuorum eſt ſicut odor thuris.

Hortus concluſus ſoror mea, ſponſa mea, hortus concluſus, fons ſignatus, emiſſiones tuæ paradiſus cum pomorum fructibus.

Hinc

Hinc Dominus sororem, & sponsam suam, Hortum conclusum nominat, quia se à peccatis cohibet, & vniuscuiusque saluti pijßimè studet, et indulgentias, plenariasq; omnium peccatorum remisßiones, quas Romanus Pōtifex verus Christi Vicarius, omnimodam de eis disponēdi potestatē habens, fidelibus suis concedit, emisßiones cum pomorum fructibus appellat, poßunt etiam fidelium cogitationes, ac opera meritoria dici emisßiones cum pomorum fructibus.

Cyprum cum nardo, nardus, & crocus, fistula, cinamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha, & aloe cum omnibus primis vnguentis, fons hortorum, puteus aquarū viuentium, quæ fluunt impetu de Libano, surge aquilo, veni auster, & perfla hortum meum, & fluent aromata eius.

Christus hæc expreßa in textu verba prænarratis annectens, dicit quod eius soror, & sponsa anima, & Ecclesia Catholica est hortus conclusus,

qui cyprum arborem aromaticũ electissimi odoris producit, qui semen, flores, & fructus lucidissimos habet, ex quibus oleum exprimitur, quo Reges unguntur; Infallibilem Catholicæ Ecclesiæ, quæ superno Spiritus sancti lumine illustrata errare non potest; veritatem, ac plenariam Romani Pontificis auctoritatem tali descriptione designans. Hortus conclusus est etiam fidelis animæ motus compositus, crocus est obediẽtia, fistula humilitas, quæ arrogantiam, concupiscentiam carnis, atque oculorum, & superbiam vitæ expellit: Cinamomũ cum vniuersis lignis Libani est in aduersis patientia, et longanimitas, et in prosperis modestia; mirrha est sensuum mortificatio, propriæq; voluntatis abnegatio, Aloe cum omnibus primis vnguentis est contritio, confessio, & pœnitentia, concordia, misericordia, & pax; Fons hortorum, & puteus aquarum viuentium est scripturarum, et sacrorum mysteriorum sana, et vera intelligẽtia, et interpretatio in quibusdam locis facilis, vt hortorũ aquæ, in alijs difficilis sicut aqua putei, quæ aquæ, idest spirituales gratiæ, & dona à vita purissima, & à cordis munditia exeunt, et impetu fluunt de Libano, idest de plenitudine charitatis Ecclesiæ, et

animæ

animæ Catholicæ, ac de Romani Pontificis plenitudine potestatis. Aquilo est gratia Spiritus sancti, Auster est interna inspiratio, ipsumque Christi verbum, qui ad vniuscuiusque hostium stat, et pulsat, & Ecclesiæ, Romano Pontifici, cæterisque Prælatis, et Sacerdotibus, omnibusque catholicis semper assistit, qui dixit Petro, quodcunque ligaueris super terram erit ligatum, & quodcunque solueris erit solutum. Est etiam Auster Sacerdotis verbum, cum pœnitentibus dicit auctoritate, qua fungor ego te absoluo: Hortus fluens aromata est fidelium cœtus, congregatio, et populus, qui operibus fidem ostendunt: sunt etiam aromata Euangelica præcepta, Ecclesiæ Sacramenta, & Pontificum Decreta, quæ gratia Dei fideles replet.

CAP.

CAP. V.

Veniat dilectus meus in hortũ meũ, & comedat fructum pomorũ suorum, veni in hortum meum soror mea, spõsa, miscui myrrham meã cum aromatibus meis, comedi fauum meum cum melle meo, & bibi vinum meum cum lacte meo.

Hic sponsa Ecclesia, & anima Catholica tentationibus, passionibus, perturbationibus, & persecutionibus vexata Christi auxilium implorat, vt veniat in hortum suum, idest vt eam visitet, protegat, et defendat, et comedat fructum pomorum suorum, idest vt fidelium virtutibus, et operibus meritorijs gaudeat, cui respondet Dominus iam venisse, cum humanam naturam assumere, eam sororem, et sponsam eligere, et ex virgineo vtero nasci dignatus est, et miscuisse mirrham suam cum aromatibus suis, cum pati, morique voluit, vt nos à peccatis, et morte perpetua redimeret, et fauum suum

cum melle suo comedisse quia mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit, & bibisse vinum suum cum lacte suo, quando ad cælum ascendit, et ad dexteram Dei patris omnipotentis sedet, veniat etiam Dominus in hortum suum cum inspirationes sanctas fidelibus immittit, et comedit fructum pomorum suorum, cum rectis eorum operibus delectatur, qui miscet mirrham suam cũ aromatibus suis cum propria voluntate abnegata tollunt crucem suam, et Christum sequuntur, et mandatis eius, Sacrosanctæ Ecclesiæ, et Romani Pontificis libenti animo parent; et comedunt fauum suum cum melle suo; cũ sacerdotum pedibus prostrati eorum delicta confitentur, hilaresq; pænitentiam eis impositam peragunt, et bibunt vinum suum cum lacte suo, cum absolutionem recipiunt, et diuinam gratiam hauriunt, comedunt etiam fauum suum cum melle suo, et bibunt vinum suum cum lacte suo, cum sacratißimo altaris Sacramento reficiuntur.

Comedite amici, & inebriamini carissimi.

Propterea Dominus hortatur electos suos,

quos

quos propter fidem amicos, et propter opera cariſſimos vocat, vt ſæpè ſæpius comedant, et inebrientur, ideſt, vt peccata confiteantur, et ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento muniantur, vel vt comedant, & bibant, ideſt vt omnipotentis Dei, Eccleſiæ ſanctæ eius, & Romani Pontificis præceptis ſalutaribus pareant, ſic enim ſupernaturalis gratiæ auxilio terrena deſpiciunt, et cæleſtia ſuſcipiunt, et rerum diuinarum ebrij ſupra rationem, extra rationem, & aduerſus rationem (hic enim ſolus rectè rationis, rectéque credendi modus eſt) quæcunque ab Eccleſia, Romanoq́ue Pontifice proponuntur comedunt ideſt firmiter recipiunt, & inebriantur ideſt exequuntur amici, & cariſſimi Deo.

Ego dormio, & cor meũ vigilat, vox dilecti mei pulſantis, aperi mihi ſoror mea, amica mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium; expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa, laui pedes meos, quomodo inquinabo illos.

Hic

Hic fidelis Christi sponsa diuino repleta lumine dicit, quòd tametsi dormiat, idest mundum, et ea quæ in mundo sunt negligat, eius tamẽ cor vigilat, idest Dei voluntatem complet, quia eius vocem audit, qui continuò tentationum, perturbationũ, & rerum prosperarum, et aduersarum spirituali exercitio, internisque inspirationibus eam alloquitur, & stans ad ostium pulsat, & eam è somno excitat; Et ipsa sponsa Ecclesia soror, amica, et immaculata, idest Catholica, Apostolica, et Romana; Et anima pœnitens confessa, & contrita Domino ostium aperit, cuius caput est plenum rore, & cincinni guttis noctium quia Deum, & mirabilia sanctissimi eius verbi, incarnationis, passionis, mortis, & resurrectionis mysteria cognoscit: hinc sponsa Domino respondet, idest infallibilem doctrinam callens dicit, quod ipsa expoliauit se tunica sua, nec potest illa indui, idest quòd nõ proprio, sed diuino regitur motu, et quòd lauit pedes suos, quos coinquinare non potest, idest quòd semetipsam abnegauit, et suam crucem ferens Christum sequitur, nec proprijs inuigilans commodis vniuersali saluti studet, et Deo seruit; innegabiliter affirmans, quòd Catholica, Apostolica,

lica, & Romana Ecclesia Dei sedes errare non potest, et quod Summus eius Pōtifex omnia potest, & quòd vniuersus terrarum orbis, et omnes paganorum & hæreticorum gentes ad catholicam fidem conuertentur, et Sacrosancta Catholica Ecclesiæ, & Romano Pontifici obedient, caput enim sponsi plenum rore Turchas aliosque infideles designat, cincinni autem pleni guttis noctium hæreticos errores, & personas, eorumque fauctores, et seguaces demonstrant.

Dilectus meus misit manũ suam per foramen, & venter eius intremuit, surrexi, vt aperirem dilecto meo, manus meæ stillauerũt mirrham, & digiti mei stillauerunt mirrham probatissimam.

Et in irrefragabilis prædictæ infallibilis veritatis Catholicæ Ecclesiæ, & Romani Pontificis auctoritatis fidem haud dubiā, addit, quod dilectus misit manum suam per foramen, idest quòd abstrusa, et abscondita scripturarum, et Regni cælorum mysteria soli Ecclesiæ, et Romano Pontifici patefecit, cui absolutissimam, vt omnes eam contremiscant,

tremiſcāt,poteſtatem tra didit: manus etiam Domini per foramen miſſæ Temporale Eccleſiæ Dominium(vt melius operari poſsit)à Domino traditum ſignificant,digiti verò potētiarum animaſticarum, & Eccleſiaſticarum, & ſæcularium ordines, & dignitates varias,& diſtinctas demonſtrant,qui mirrham probatisſimam ſtillant, quia ab Eccleſia, & Romano Pontifice omnium hominum ſupremo dependent.

Peſſulũ oſtij aperui dilecto meo,at ille declinauerat,atque trāſierat;anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt,quæſiui illum,& nõ inueni,vocaui, & nõ reſpondidit mihi, inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium mihi cuſtodes murorum, adiuro vos filię Hyeruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt annũtietis ei, quia amore langueo; qualis eſt dilectus tuus ex dilecto ò pulcherrima mulierum,qualis eſt

dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiuraſti nos.

Hic humilis ſponſa Chriſto ſponſo ſubiecta peſſulum oſtij ei aperuiſſe dicit, quia eius volūtatem exequitur, eiuſque lumē, ſanctasq́; inſpirationes, & gratias recipit, & quoniam in hoc ſaculo Deo frui non licet, ſed aliqualiter, & in tranſitu, dicit, quòd Dominus declinauerat, atque tranſierat, attamen, quòd anima ſua liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt, quia Dei gratiam ſibi conceſſam fidelibus ſuis communicat, atque impartitur, & quia Deum nemo vidit vnquam, ideò ſubiungit, quòd quæſiuit illum, & nō inuenit, & quia lucem inacceſſibilem inhabitat, ſequitur, quod vocauit illum, & non reſpondidit, & addit, quòd inuenerunt eam cuſtodes qui circumeunt ciuitatem, & percuſſerunt eam, & tulerunt ei pallium cuſtodes murorum, ideſt, quòd inſpirationibus ſanctorum Dei, & Angelorum, qui fidelium cuſtodiæ deputati ſunt, conſentijt, hi enim ſunt cuſtodes murorum, qui circumeunt ciuitatem, qui eam percuſſerunt, vulnerauerunt, & tulerunt ei palliū, ideſt in ipſam Chriſti amorem accenſerunt, & carnalium,

lium, & terrenarum rerum desideria ei abstulerunt; propterea ipsos Angelos, Sanctosq; iam exutos corpore (quos filios Hyerusalem vocat) depre-catur, vt dilecto annuntient, quòd ipsa Dei amore languet, idest vt ipsam in Deum transuehant, ac Christi sacratissimum, atque ineffabile incarnationis mysterium eam doceant, cui ipsi respondent, qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos ò pulcherrima mulierum, idest quòd incarnationis verbi mysterium non solum humanarum, sed etiam angelicarum mentium captus prorsus excedit; Palàm etiam in omnibus his notum faciens, quòd sanctorum intercessiones viuis prosunt, & quòd sola catholicæ fidei veritas, & Romani Pontificis Potestas est infallibilis, & omnium suprema, quam talem & ipsi Angeli in mysterium missi his, qui hereditatem capiunt salutis confitentur, & venerãtur, quibus ipsa respondet.

Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus, caput eius aurum optimum, comæ eius sicut elatæ palmarum.

Quod dilectus suus est candidus, & rubicun-

dus, ideſt Deus, & homo, candidus propter diuinitatem, & innocentiam, & rubicundus propter humanitatem, & paſsionem ſuam, quia lauit nos in ſanguine ſuo, & eſt electus ex millibus, ideſt perfectiſsimus, verus Deus, & verus homo; Caput ſuum eſt aurum optimum, quia pater eius eſt omnipotens, & ſempiternus: procùl dubio omnibus affirmans, quod ſicut cætera metalla auro comparata viliſsima ſunt, ſic omnes creaturæ creatori, & omnes homines Romano Pontifici comparari nequeunt, comæ eius ſicut elatæ palmarum nigræ quaſi coruus ſunt Angeli, qui tametſi Deo aſsiſtant, & diuinorum influxuum radijs præfulgentes ei inſeruiant, nihilominùs inacceſsibili diuino ſplendori comparari nõ valent; quo conſimili modo, nec Sacroſanctæ Eccleſiæ Cardinales, nec Prælati, alijq; magnates, licet dignitatibus, diuitijs, & honore, quaſi comæ elatæ palmarum eluceſcant, attamen nigræ quaſi coruus nullo modo Romano Pontifici comparari valent. Vnuſquiſque etiàm fidelis catholicus propter internum lumen candidus, & propter tentationes, & perſecutiones rubicũdus eſt, Electus ex millibus, ideſt à Deo è mũdo, & eius comæ ſicut elatæ palmarum ſunt nigræ

quaſi

quasi coruus, quia sanctæ eius cogitationes sunt, quibus se soli Deo, Ecclesiæ Catholicæ, & Romano Pontifici humiliter prosternuntur, & terrena omnia despiciunt, atque contemnunt.

Oculi tui columbarum super riuos, quæ lacte sunt lotæ, & ressidēt iuxtà fluenta plenissima, genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentarijs, labia eius sicut lilia stillantia mirrham primam.

Oculi sponsæ columbarum super riuulos, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima, sunt Ecclesiæ Catholicæ sana sacrarum scripturarum interpretatio, Euangelica præcepta, Pōtificum Decreta, Ritus, Ceremoniæ, Dogmata, Vniuersalis charitas, & vniuscuiusque salutis studium, quæ lacte sunt lotæ, idest à Deo, & secundum Deum, & Catholicæ Animæ cælestis meditatio, ac duplicis dilectionis obseruatio, quæ lacte sunt lotæ, quia æterna meditantur, & ressident iuxtà fluenta plenissima, quia semper proficiunt; Genæ sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentarijs sunt sacrorum Cardinalium, aliorumq́; Prælatorum

latorum virtutes, & exempla, qui fidelium cogitationes ad Deum dirigũt, vt perpetuæ vitæ gaudia suscipere valeant, & vniuscuiusque catholici meritoriæ actiones. Labia sicut lilia stillantia mirrham primam sunt Ecclesiæ, animæq; catholicæ persecutiones, ac passiones, quæ non sunt condignæ ad æternam gloriam, quam operantur in nobis, & nouissimorum memoria, quam qui memoratur in æternum non peccat. Sunt etiam oculi columbarum, genæ, & labia Doctores, qui mundo mortui, & Deo viui æternæ vitæ cãdorem, præsentis tenebras, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ infallibilem veritatem, Summique Pontificis Excelsam dignitatem, & plenariam potestatem euangelizantur.

Manus illius tornatiles, & plenę hyacintis, venter eius eburneus distinctus saphiris, crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundata sunt super bases aureas, species eius sicut Libani, electus vt Cedri.

Manus sponsi tornatiles plenæ hyacinthis sunt cælorum (qui opera manuum Domini sunt) perpetui

petui motus, qui semper influunt, & creaturarũ omnium varij, multiplices, ac distincti numeri, & ordines: Et vniuersalis Dei prouidentia, qui omnia in suos proprios fines dirigit, & mirabilia facit solus, cuius omnipotenti voluntati nemo resistere valet; Sunt etiam manus Romani Pontificis tornatiles, qui omnia potest, ac plenaria in cælo, & terra potestate coruscat, quæ sunt etiam plenæ hyacintis, quia omnes sua benedictione replet, paradisi portã fidelibus aperit, & ad æterna fælicitatis gaudia eos perducit. Venter Domini eburneus distinctus saphiris est sacratissima Christi caro ex immaculatissimo Virginis vtero sumpta, sicut enim ebur elephãtis dens est animalis frigidissimi, & castissimi, sic Christi caro, quamuis carni peccati similis, absque tamen omni peccati labe extitit, & multis claruit miraculis. Est etiam venter eburneus distinctus saphiris varius, multiplexque Sacerdotum, Ecclesiasticorum, & sæcularium, nec non Sacramẽtorum Ecclesiæ proprius, & distinctus ordo, columnæ marmoreæ fundatæ super bases aureas, sunt Christi Euãgelica, & Sacrosancta Romanæ Ecclesiæ, Summique Põtificis præcepta, & decreta stabilia, & candida sicut

marmor secundum rectitudinem charitatis, & pietatis catholicæ, quæ nunquam deficient, & fundatæ sunt super bases aureas, quia ab auro purissimo, id est ab ipso omnipotenti Dei verbo procedunt, qui Apostolis dixit, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, & quod cælum, & terra transibunt, verba autem sua non præteribūt: Species illius sicut Libani est eius æternitas. Est etiam Romanus Pontifex speciosus sicut Libani, quia est verus Christi Vicarius: Est etiam Christus electus, vt cedri, quia est æqualis Patri: Est etiam Romanus Pontifex electus vt cedri, quia legitimus illius infrangibilis petræ, idest Petri successor est, in cuius figuram Dominus futurum tempus describens illius legitimam ipsius Petri successionem, idest ipsos Romanos Pontifices successores suos tunc instituit, cum Petro dixit, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: Species etiam Domini est sicut Libani, quia est consubstantialis Patri, & electus, vt cedri, quia à mortuis resurgens amplius iam non moritur; vt etiam ex his elucescat, quòd Sacrosancta Catholica, & Apostolica Romanorum Pontificum Sedes omnipotentis consilio firmata

Dei de omnibus sectis, hæreticis, & infidelibus triumphalem victoriam consequetur, eiusq́; veritas dignitas, & potestas vsque ad sæculi consumationem in genealogica Petri descendētia, idest in ipsis Romanis Pontificibus propagabitur.

Guttur illius suauissimũ, & totus desiderabilis, talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus filiæ Hyerusalem, quò abijt dilectus tuus ò pulcherrima mulierum, & quæremus eum tecum.

Et sequitur, quòd guttur Christi, idest interna spiritualis dulcedo, gloria Paradisi, æterna beatitudo, Christi verbum, & testamentum est suauissimum, & summopere desiderari debet, & filijs Hyerusalem, idest fidelibus catholicis affirmat, quòd ipse est Deus, & homo, Et Romani Pontificis, & Catholicæ Ecclesiæ dilectus, et amicus, quia continua Spiritus sancti illustratione eos, fidelesq́; suos docet, & edocet, hoc enim pacto Ecclesia, & anima Domino associatur, idest supra æterno luminis splendore repleta Deum quærit, idest Dei compos fit, eiusq́; cognitionem alijs elargitur, qui

omnes

omnes tàm singulari amore Deum prosequũtur, vt vnanimiter hæreticorum extirpationem, Ecclesiæ, Romaniq; Pōtificis exaltationem, Dei gloriam, propriamque & proximi salutem solummodo appetunt.

CAP. VI.

Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat, ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.

HIc Sponsa Christi Ecclesia, & anima catholica propter propriæ voluntatis abnegationem & fidelium suorum congregationem se Dei hortum esse perhibet, qui herbas, flores, & fructus bonorum operum incipientium, progredientium, & perfectorum producit, & dicit, quòd dilectus suus ad areolam aromatum descendit, idest quòd Christus suimetipsius gratiæ suauitatis odore, Ecclesiæ, Romano Pontifici, cæterisq; omnibus fidelibus concessæ attrahitur, pascitur in hortis, & lilia colligit, quia eos purgat, illumi-

illuminat, & perficit, addens, quòd dilectus dilecto accedit, & è contra, idest quòd qui Deum diligit à Deo diligitur, qui iustorum operibus delectatur, & omnes diligit, qui ex toto corde suo, ex tota anima sua, & ex tota mente sua eum diligit, sic enim in hortum suum descendit, pascitur in hortis, & lilia colligit.

Pulchra es amica mea suauis, & decora sicut Hyerusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata, auerte oculos tuos à me quoniam ipsi auolare me fecerunt.

Dominus pulchram amicam suauem, & decoram sicut Hyerusalem sponsam appellat propter eius charitatem, veritatem, pietatem, & clementiam, & quia etiã Sacrosancta, Catholica, & Apostolica, & Romana, & terribilem, vt castrorum acies ordinata, quia vanis desiderijs, carnalibus concupiscentijs, & vitijs, & peccatis vim facit, & sibi, & fidelibus suis in Deo solo pacem requirit, propterea Dominus eam hortatur, vt ab ea oculos suos auertat, quoniam ipsi eam auolare fecerunt, idest, vt hæreticis prauitatibus, vitijs, &

tenta-

tentationibus resistat, & Sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ, Romaniq; Pontificis decretis cõstãter, & absque vlla controuersia acquiescat.

Capilli tui, sicut greges tõsarum, quę apparuerunt de Galaad, dẽtes tui sicut greges ouium, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis, sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis.

Capilli sponsæ sicut greges caprarum, quæ apparuerunt de Galaad sunt Ecclesiæ ritus, & constitutiones, & fidelis anima à mundo separatæ cælestes cogitationes, Dentes sicut greges ouium, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fætibus, nec sterilis in eis sunt fidelium in bonis operibus stabilitas, & perseuerantia, Ecclesiæ Catholicæ Euangelica præcepta, Dogmata, ritus, & decreta, ac Summi Romani Pontificis dignitas, potestas, & charitas, quæ vniuersali omnium saluti studet, & fideles suos pio beneuolentiæ vinculo cõplectitur, nec sterilis est in eis, quia omnes amore operantur; Genæ sicut cortex mali punici absq;

occultis suis sunt sacrorum Cardinalium, Regnorum, Nationum, populorum, rerumque mundanalium protectiones, & Ecclesiæ, & animæ fidelis persecutiones, passiones, ac tribulationes, quæ leues, & momentaneæ æternum gloriæ pondus operantur in nobis.

Sexaginta sunt Reginæ, octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus, vna columba mea, perfecta mea, vna matri suæ electa genitrici suę, viderunt eam, & beatissimam prædicauerunt reginæ, & concubinæ, & laudauerunt eam.

Sexaginta Reginæ sunt passiones, octoginta cōcubinæ potentiæ, & adolescentularum quorum nō est numerus, sunt naturales inclinationes, sunt etiam sexaginta Reginæ leges naturales, concubinæ leges gentium, & adolescentularum, quorum nō est numerus sunt leges ciuiles, & municipales, vna verò columba, perfecta, vna matri suæ Electa genitrici suæ, quam viderūt, & beatissimam prædicauerunt Reginæ, & concubinæ, & laudauerunt

uerunt eam; est sola Sacrosancta Romana Ecclesia, catholica fidei, & Summi Pontificis infallibilis veritas, incomparabilis charitas, & plenaria absolutissima in cælo, & terra potestas, cui tandem omnes aliæ leges, & gentes se subijcient, obedient, & seruient sanctissimum, & beatissimum Romanum Pontificem, Verum Christi Vicarium, & legitimum beati Petri successorem cognoscentes, & confitentes.

Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis, vt castrorum acies ordinata, descendi in hortum meum, vt viderem poma conuallia, & inspicerem si floruissent vineæ, & germinassent mala punica.

In prædictis omnibus Christus admirabilem sponsæ dignitatem, & potestatem attestatur, dicens, quòd ipsa progreditur quasi aurora consurgens, quia omnibus dominatur, & dominabitur, est pulchra, vt luna, quia ab ipso Christo summo parente luminum, lumen recipit, & est electa vt

Sol, quia in eo trāsformatur, & propter clauium potestatem eius capiti Romano Pontifici traditā errare non potest. Est terribilis, vt castrorum acies ordinata, quia ab erroribus, vitijs, cōcupiscentijs, & peccatis fideles suos longè arcet. Et Dominus in hortum suum descendit, vt videat poma conuallia, & inspiciat si floruissent vineæ, & germinassent mala punica, idest quòd Christus eam regit, humilium preces exaudit, & eorum intentionibus, actionibus, & virtutibus omnibus, & præcipuè castitatis, paupertatis, & obedientiæ summopere gaudet.

Nesciui anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab, reuertere, reuertere, reuertere, Sunamith, reuertere, reuertere, vt intueamur te.

Hic humilis, & verax Christi sponsa Ecclesia, & anima catholica, Sinagogæ errores, & propria peccata cōfitetur, & detestatur, & suas culpas nō excusans se ipsam accusat, dicens nesciui, anima conturbauit me propter quadrigas Aminadab, errores, & peccata sua manifestans, & se

Suna-

Sunamith, id est eorum captiuam fuisse, attamen conuersam Domini vocem acclamantis propter Apostolorum in quatuor mundi partes euangelicam veritatem prædicantes audiuisse; qui ei respondet: Reuertere, reuertere, reuertere Sunamith reuertere, reuertere, vt intueamur te, id est vt à Sinagoga dissentiat, errores, & peccata relinquat, propriã voluntatẽ abneget, & ei adhæreat.

CAP. VII.

Quid videbis in Sunamithe nisi choros castrorum, quàm pulchri sunt gressus tui filia Principis in calciamentis, iunctura fœmurum tuorum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis.

ET quoniam Christus Ecclesiæ, suisque fidelibus semper aderit, ideo dicit, quòd in ipsa Sunamithe, id est Ecclesia, & anima catholica inextimabili suo preciosissimo sanguine redempta ab omni erroris, & peccati labe libera, & ab ipso instituta, quæ nullo modo errare, nec ab aliquo vinci potest, soli castrorum chori vide-

videbuntur, ideſt quòd propter eius immutabiliſsimam ſtabilitatem, & perpetuitatem omnes ad eam conuertentur, & addit, quòd greſſus eius filiæ Principis in calceamentis ſuis mirum in modum pulchri ſunt, ideſt quòd propter plenariam ſupremi Romani Pontificis poteſtatem ſanctisſimis Beatitudinis ſuæ pedibus omnes ſe ſubijci debent, & tandem ſe ſubijcient, & propterea ſubiungit, quòd iunctura fœmiurum ſuorum ſunt ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis, ideſt, quòd vtrumque ſpirituale, & temporale Eccleſiæ Regnum, et Dominium à Domino Deo eſt, dextrum enim fœmur eſt ipſa Eccleſia Catholica, ſiniſtrum verò eſt Moſayca, gentilis, & quæuis alia lex, & ſecta, quæ omnes finaliter catholicæ obedient, & ſeruient, vterque enim fidelis, & infidelis populus manu artificis, ideſt Spiritu ſancto cooperante inſeparabiliter vnientur.

Vmbilicus tuus crater tornatilis nũquam indigens poculis, vẽter tuus ſicut aceruus tritici vallatus lilijs, duo vbera tua ſicut gemelli capreę, collum tuũ ſicut turris Ebur-

E nea,

nea, oculi tui ſicut piſcinæ in Heſbon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis, naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum, caput eius ſicut Carmelus, & comæ capitis tui ſicut purpura regis iuncta canalibus.

Vmbilicus crater tornatilis nunquam indigēs poculis eſt totius huius mundi inferioris mirabilis, & perpetuus ordo, & rerum omnium indeficiens particularis Dei prouidentia, & Eccleſiæ, Romanique Pontificis vniuerſale fidelium omnium ſalutis ſtudium, quos propter naturalem fragilitatem vmbilico figurat; Venter eius ſicut aceruus tritici vallatus lilijs eſt diuinæ gratiæ plenitudo in fidelium viſceribus diffuſa, quæ eos ſanctiſsimis, puriſsimiſq; virtutibus in Deum aſcendere faciūt; Duo vbera ſicut gemelli capreæ ſunt duplicia Euangelicæ charitatis præcepta, & veteris, ac noui Teſtamenti ſana intelligentia; collum ſicut turris Eburnea eſt cæleſtis fidelium meditatio, oculi ſicut piſcinæ in Heſbon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis ſunt Eccleſiæ, ac Decretorum

Ponti-

Pontificum, ſacrarumque vtriuſque teſtamenti ſcripturarum Euangelica, & approbata intelligentia, & interpretatio, quæ in orthodoxæ catholicæ fidei claritate gentes Paganorum, Turcharum, aliorumque infidelium cæcos à natiuitate; & hæreticos mutilatos, & attractos, (qui in mortis vmbra ſedent, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, catholicæ veritati, & Romani Pontificis poteſtati impiè tergi verſantur) tandem introducet. Vniuerſus enim terrarum orbis ad eam cõuertetur: Naſus ſicut turris Libani, qui reſpicit contra Damaſcum eſt fidelium omnium humilitas, & modeſtia, & Theologorum, & Prædicatorum diſcretus dicendi, & agendi modus qui Regnum cælorum, ſacra myſteria, Euangelicam doctrinam, Eccleſiæ veritatem, Romani Pontificis auctoritatem, vitam, & gloriam ſempiternam inceſſanter euangelizantur, peccata, & vitia deteſtãtur, virtutesque, ac bona opera hortantur: Eſt ſynderesis, quæ recta, & iuſta cogitare, & agere ſuadet, & ad bona peragẽda nos admonet, & à peccatis, et vitijs nos retrahit: caput ſicut Carmellus eſt D.N. Ieſu Chriſti paſsio, & mors, ſicut enim Helias in Carmello monte orans pluuiam impe-

 trauit,

trauit, sic omnipotentis Dei filius, vt patris iram mulceret, & nos à peccatis, & morte perpetua liberaret in Caluario monte se vltrò crucifigendum obtulit, vt mundum redimeret, peccatores saluos faceret, & Ecclesiam sanctam suam, Summumque Romanum Pontificem praciosissimi sanguinis sui aspersione, infallibilis veritatis, ac plenariæ potestatis indeficienti vbertate fœcundaret: comæ capitis sui sicut purpura iũcta canalibus sunt omnia passionis, ac mortis Christi mysteria, in quorũ venerabilissimam commemorationem sacræ purpureæ Cardinalium Thiaræ institutæ sunt, qui Regibus æquiparantur, & Romani Põtificis, qui eorum caput est, comæ existunt. Sunt etiam assiduæ Christi passionis, & mortis fidelium meditationes, qui pro catholicæ fidei, & Ecclesiæ Exaltatione, & pro Pontificis auctoritate tuenda, & amplianda vitam cum sanguine hilari animo fundunt.

Quàm pulchra es, & quam decora carissima in delitijs, statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua bottris, dixi ascendam in palmam

&ap-

& apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua ſicut bottri vineę, & odor oris tui ſicut odor malorũ, guttur tuum ſicut vinum optimũ dignum dilecto meo ad potãdum, labijsque, & dentibus illius ad ruminandum.

Et quoniam dilecta Christi ſponſa Eccleſia, & anima catholica propter purpuream capitis comam, ideſt propter cæleſtes Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium virtutes, & propter ſupernam Chriſti paſsionis, & mortis meditationem, verbis, opere, & exemplo vndique ſplendet, & in ſola D.N. Ieſu Chriſti cruce gloriatur, ideo eam pulchram, decoram, & cariſsimam in delitijs appellat, ideſt Catholicam, Apoſtolicam, & Romanam, deuotam, humilem, & caſtam; Eiuſque plenariam abſolutiſsimam poteſtatem, veritatem, charitatem, & dignitatem, & eminentiſſimum ſpirituale dominium ſtaturæ palmæ aſsimilat, ſicut enim palma radices in terra fixas tenens, ſe etiam ſuper terram extẽdit, & vſque ad cælum vergens æthera petit; Sic Eccleſia, & Ro-

manus Pontifex propter clauium, ac ligandi, & soluendi amplissimam sibi à Domino traditam potestatem, non solum viuis super terram, sed etiam mortuis suffragari potest: Hinc falsissima, & penitùs erronea, & detestabilis hæreticorum apparet opinio aduersus Romani Pontificis auctoritatem latrantium, & Ecclesiæ Sacramenta, & mortuorum suffragia negantium: Vbera sicut bottri vineæ sunt duplicia Euangelicæ dilectionis præcepta. Ascensum in Palmam est vniuersalis totius mundi à Christo in cruce facta redemptio, vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, sic enim æternæ vitæ fructus fidelibus largitus est; Odor oris sui sicut odor malorum est innocentissimæ Christi vitæ imitatio, nam quemadmodū ipse fecit, ita & nos facere debemus. Guttur suū sicut vinum optimum, & dignum dilecto ad potandum, labijsque, & dentibus illius ad ruminandum est Dei Verbum, doctrina, miracula, passio, mors, aliaque mysteria omnia, quæ nos rerum mundanarum obliuisci, ac æternarum semper reminisci, & Christum, eumque crucifixum semper præ oculis habere faciunt, in quorum gratiam diuino fulciti numine aduersa quæque libenter

patimur,

patimur, ac spontè Romani Pontificis constitutionibus, & decretis obsequimur.

Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius, veni dilecte mi egrediamur in agrum, & commoremur in villis, mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica, ibi dabo tibi vbera mea, mandragoræ dederunt odorem suum in portis nostris, omnia poma noua, & vetera seruaui tibi.

Hic Sponsa miro sponsi amore accensa exclamat, quòd Dominus ad eam conuertitur, & ad eam venit, eamque protegit, regit, fouet, & defendit propter suam ad Dominum conuersionem; Egreditur in agrum, quia in puritate, & sinceritate ambulat, commoratur in villis, quia ab omni peccati, corruptionis, & erroris macula se immunem præstat, diuino enim illustrata numine nullo modo errare potest: Surgit mane ad vineas, idest terrenis, & carnalibus concupiscentijs, &

curis depoſitis ſuperna induitur gratia, videt ſi floruit vinea, ideſt ſi Dei amore Deum diligens operatur, ſi flores fructus parturiunt, ideſt ſi propter eius viuam fidem operibus clareſcit, ſi floruerunt mala punica, ideſt ſi paſſionis, et mortis Chriſti myſteria meditatur, ibi ei dat vbera ſua, quia ſicut fragmen mali punici continet multa grana, ſic ipſa multos fideles in ea congregatos, qui affectus, & cogitationes ſuas moderatè, & piè retinentes, & Chriſti paſſionem, & mortem meditantes, diuina replentur gratia: Mandragoræ dant odorem ſuum in portis noſtris, quia eorum opera meritoria ad Deum aſcendunt, cui omnia poma noua, & vetera ſeruat, quia ipſa noui, ac veteris teſtamenti ſenſus, figuras, ſignificata, & myſteria apprimè callet: Et omnium ſuorum fidelium incipientium, progrediẽtium, & perfectorum virtutes à Domino recognoſcit, non enim ſufficientes ſumus ex nobis, tamquàm ex nobis aliquid boni operari, ſed omnis ſufficientia noſtra à Domino Deo eſt, cui omnis honor, laus, & gloria debentur.

CAP.

CAP. VIII.

Quid mihi det te fratrem meum ſuggentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris,& deoſculer te,etiã me nemo deſpiciat, apprehendam te, & ducam te in domum matris mæ,ibi me docebis omnia,& dabo tibi poculum ex vino conditum, & muſtum malorum granatorum meorum.

TAmetſi omnia prædẽtia capitula myſtica,& ſpiritualia ſint,nihilominus hoc longe cætera excedit, cũ nec vllum quidem verbum ſecundum literam,ſed omnia de Eccleſia, & anima catholica intelligi debeant, quæ ſacratiſſimum, incomprehenſibile, & ineffabile verbi myſterium incarnationis obſtupeſcens Chriſto dicit; Quis mihi det te fratrem meum ſuggentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris,& deoſculer te, & iam nemo me deſpiciat,ideſt; Tu qui cum in forma Dei eſſes in ſimilitudinem hominum

minum factus, formam serui accipere, & fratrẽ suggentem vbera matris meæ, ideſt humanæ naturæ conſortem eſſe dignatus es. Dabis mihi, vt inueniam te foris, ideſt, vt ex inuiſibili Deo viſibilem hominem factum comprehendam, & deoſculer te, ideſt, & tu magnificabis me, qui potens es, & ſic nemo me deſpiciat, ideſt, & Beatam me dicent omnes gentes, & ſequitur; Apprehendam te, ideſt, & tu exaltabis me, & introducam te in domum matris meæ, & ibi me docebis omnia, ideſt, & dabis mihi noſſe myſteria Regni cælorum, & fideles meos, & ſenſus ad perpetuæ vitæ gaudia perducere concedes, qui propter eorum charitatem poculum ex vino conditum, & propter eorum humilitatem, qua ſe Sacroſanctæ Catholicæ Eccleſiæ ſubijciunt muſtum malorum granatorum dicuntur; Nempè ex his infallibilem Eccleſiæ veritatem, & plenariam Summi Romani Pontificis auctoritatem atteſtans; palàm omnibus faciens, quòd nemo ad ſalutis portum peruenire valet, niſi in Petri Nauicula, cuius gubernaculo Romanus Pontifex præeſt, humilis, & obediens exiſtat.

Leua

Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: adiuro vos filiæ Hyeruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.

Propterea Chriſtus ſponſus verbum veritatis, & vitæ vniuerſalem in cælo, & terra Eccleſiæ, & Romani Pontificis poteſtatem affirmans in leua ſub capite, & per dexteræ illius amplexum ſignificatam, fideles (qui ſunt filiæ Hyeruſalem) hortatur, vt veritati, ac poteſtati Sacroſanctæ Catholicæ Eccleſiæ, & Romani Pontificis acquieſcant, eis in hoc ſæculo diuinæ gratiæ, & in altero ſempiternæ gloriæ præmium promittens, vbi inſigni corporis, & animæ gloria fulgentes Deum poſſidebunt; Hoc enim etiam leua ſub capite, & dexteræ illius amplexus ſignificant.

Quæ eſt, quæ aſcendit de deſerto delitijs affluens, innixa ſuper dilectum, ſub arbore malo ſuſcitaui te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.

Et,

Et, quòd prius dixerat repetit, quòd ſola catholica fides, & Eccleſia, (cum cætera falſæ ſint) aſcendit de deſerto, ideſt vera eſt, Delitijs affluit, ideſt donis Spiritus ſancti, virtute Sacramentorum, alijsque diuinis muneribus, & gratijs repleta eſt, & innixa ſuper dilectum ſuum, ideſt ab ipſo Dei verbo Chriſto procedens, qui in ligno crucis paſſionis, & mortis ſuæ infinitis meritis mundum, & humanum genus redemit, & à morte perpetua liberauit, in cuius vmbra propter originalis peccati corruptionem, naturalem inclinationem in Sinagoga, in matre corrupta, & in genitrice violata demonſtratæ miſerrimè ſedebat.

Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis, vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio, lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.

Hic mundi redemptor Eccleſiæ, & fidei catholicæ irrefragabilis veritatis, ac Pontifitiæ ſupremæ

premæ auctoritatis omnibus indubitatissimam fidem facit, eius enim signaculum super cor, & signaculum super brachium se esse affirmat, indicans etiam in hoc quòd opera fidem comitari debēt, & fideles admonet, vt omnes eorum actiones sanctissimo crucis signo præmisso incipiant, & peragant, addens, quòd fortis, vt mors dilectio, sicut enim mors animam à corpore diuidit, sic immensus Dei amor Ecclesiam, & animam catholicam à mundo separat, ita, vt è mundo amplius non sit, nec mundum neque ea, quæ in mundo sunt diligat, & hæreticorum, aliorumque infidelium, qui Sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ, & Romano Pontifici impugnare audent sempiternam inferni damnationem indicans addit, quòd dura vt infernus æmulatio; Et quia sola Catholica Ecclesia, & Romanus Pontifex incomparabili fulgore vndique micant, quibus nemo resistere valet, idcircò etiam addit, quòd lampades eius lampades ignis, atque flammarum.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruunt illã, si dederit homo omnem

nem ſubſtantiam domus ſuę quaſi nihil deſpiciet eam, ſoror noſtra parua, & vbera non habet, quid faciemus ſorori noſtræ in die, quã do alloquenda eſt.

Et ſequitur, quòd aquæ multæ, quæ ſunt perſecutiones, tentationes, & tribulationes, & flumina, quæ ſunt pericula, & tormenta charitatem extinguere non valent, & Petri nauiculam extinguere non poterunt, more enim prophetico ratione temporis non vtens futurum in præteritum deſignat, acta enim ſignificãt agenda, vndè etiam mox addit, quòd ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ, quaſi nihil deſpiciet eam; Tum quia nulla humana vis, aut ratio ei reſiſtere valent. Tùm etiam quia fidelis Deo dilecta anima in eius obſequium omnia, quæ in mundo ſunt pro nihilo ducit, & quia etiam eius doctrina, charitas, veritas, virtus, dignitas, Maieſtas, atque poteſtas à Domino Deo eſt, ideo Chriſtus eam ſororem paruam, & vbera non habentem appellat, vt omnibus notum ſit, nec quiſquam, ſe ignoraſſe excuſare valeat, quòd ſola Eccleſia Catholica

tholica

tholica Christi sponsa errare non potest, nec portæ inferi præualebunt aduersus eam.

Si murus est ædificemus super eum propugnacula argentea, si ostium compingamus illud tabulis cedrinis, ego murus, & vbera mea sicut turris, ex qua facta sum coram eo, quasi pacem reperiens, vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos, tradidit eam custodibus vir affert pro fructu eius mille argenteos.

Et quoniam Dominus vsque ad consummationem sæculi cum Romanis Pōtificibus erit, nec Catholica Ecclesia vnquam deficiet, propterea eam murum appellat, super quem propugnacula argentea ædificabuntur, quia de persecutionibus, tentationibus, passionibus, vitijs, erroribus, & peccatis omnibus inuictissima victrix existet, & ostium compictum tabulis cedrinis, quia serpentes hæreticos, aliasque paganorum, & infidelium gentes Dei eam tuentis, & protegentis auxilio, & virtute tandem conteret, penitusque delebit, & po-

& populo catholico murus firmissimus existet, quia castissimis, & immutabilissimis charitatis, & perseuerantiæ vberibus salutari cibo eum nutriet, & tandem de omnibus inimicis suis victoriam consequetur, & fælix in hoc, & beatissimus in altero sæculo corpore, & anima gloriosus sempiterna Dei fruitione fruetur, quæ est merces electorum mille argenteorum fructu figurata.

Vinea mea coram me est, mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.

Idem, quòd superius hic repetit, quòd fidelis anima catholica Dei mandata seruans, & Sacrosanctæ Sedi Apostolicæ, Romanoque Pontifici humilis, & obediens pacificè mille fructus, & ducentorum suscipiet, idest, quòd animæ, & corporis æterna requie fruetur.

Quæ habitas in hortis amici auscultant, fac me audire vocem tuam, fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque ceruorum.

Et

Et quoniam ſola Chriſti ſponſa immenſum vitæ brauium conſequi valet, ideo Dominus eam alloquitur dicens, quòd ipſa ſola habitat in hortis, ideſt Deum cognoſcit, & hortatur animam, vt Dominum vocem ſuam audire faciat, ideſt, vt Eccleſiæ, Summique Romani Pontificis præceptis ſalutaribus parcat, ac iuſta & recta opera exerceat, meritoriæ namque actiones in diuinis laudibus ab Angelis, & Sanctis diuino conſpectui offeruntur, ex quo Sanctorum etiam interceſsiones viuis prodeſſe apertiſsimè apparet: Et Eccleſia mandat, vt Dominum vocem ſuam audire faciat, ideſt, vt ab omnibus, & in omnibus ſe ſummo honore, ſummaque reuerentia (vti par eſt) haberi faciat, & ſpiritualibus ſuis tremendis armis (cum res, & occaſio poſtulat) vtatur, quæ pro tot, tantiſque diuina pietate muneribus ſibi elargitis, Chriſto gratiam referens cum ſuppliciter exorat, vt fugiat, & aſsimiletur capreæ, hinnuloque ceruorum, ideſt, vt diuinum ſuum auxilium præſtet; manifeſtiſſimè, & innegabiliter concludens, quòd ſola caprea Catholica ſcilicet fides, & Eccleſia, Hinnulusque ceruorum, ideſt Romanus Pontifex

Pater Patrum ſuprema poteſtate præ filijs hominum inſignitus altitudinem diuitiarum ſcientiæ, & ſapientiæ Dei, & ſacrarum ſcripturarum abſcondita myſteria Spiritus ſancti illuſtratione muniti, & eius ſemper conſolatione gaudentes, cõprehendere valent. ſicut enim caprea, hinnulusq́ ceruorum animalia humanum viſum fugientia, in montium cacuminibus aliqualiter proſpici patiuntur, ſic Chriſtus Eccleſiæ ſanctæ ſuæ, & Romano Pontifici arcana, quæ non licet homini loqui, & magnalia ſua reuelat; incomprehenſibile ſacræ ſuæ incarnationis myſterium, cum eum fratrem ſuggentem vbera matris ſuæ vocauit; Paſſionem, mortem, & reſurrectionem ſuam cum ſub arbore malo (vbi mater ſua corrupta, & genitrix violata fuit) eam à ſomno excitaſſe atteſtatus eſt; Eius ad cælum aſcenſionem cum in palmam aſcendiſſe, & ad dexteram Dei patris omnipotentis ſediſſe palàm dixit, vndè Paracletum Spiritum Apoſtolis ſuis miſit, qui eos, quæcunque Dominus eis prius dixerat edocuit; Et ſublimiſſimam Romanorum Pontificum dignitatem inſtituit, quibus abſolutiſſimam ligandi, & ſoluendi poteſtatem, & Regni cælorum claues tradidit, vt

in toto hoc Cantici Canticorum tractatu, & in omnibus, & quibuscunque alijs veteris, ac noui testamenti scriptis, & in rebus omnibus naturalibus, & artificialibus apertissimè perhibetur: Propterea nos omnes Christi fideles, quibus in ouili catholico (cui modo Diuus Paulus V. omni gerarchica cælesti virtute pollens diuina miseratione praeest) vitam degere datum est, infallibilem Sacrosanctæ Catholicæ Ecclesiæ veritatem, & Sanctitatis suæ absolutissimam potestatem, cæterasque suas Angelicas virtutes, & qualitates, & totius mundi huius fælicitatem noscentes, & confitentes sanctissimis beatitudinis suæ pedibus prostrati, pietatis suæ clementiam deprecemur, vt nos salutari sua benedictione custodiat, & foueat, vt ea communiti huius miserrimæ, ac fragilis vitæ cursu peracto sempiternam in Regno cælorum gloriam consequi valeamus propter D. N. Iesu Christi infinita merita, quorum ipse Verus Christi Vicarius, ac legitimus Beati Petri successor omnimodam disponendi facultatem habet.

F I N I S.